Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift



mitti in tenebras diceret. Hinc et iam psalmista ait. Super eos
cecidit ignis et non uiderunt solem. Ignis enim super impios cadit. Si
sol igne cadente non cernitur. quia illos quos gehenne flam-
ma deuorat auisione ueri luminis cecat. ut et foras eos
dolor combustionis cruciet et intus pena cecitatis obscuret.
quatenus qui auctori suo et corpore et corde deliquerunt
simul corpore et corde puniantur. et utrobique penam senti-
ant qui dum hic uiuerent. pauis suis delectationibus ex
utroque seruiebant. Unde bene per prophetam dicitur. Descenderunt
ad infernum cum armis suis. Arma quippe peccantium sunt
membra corporis. quibus peruersa desideria que concipiunt
exsecuntur. Unde recte per paulum dicitur. Neque exhibeatis men-
bra uestra arma iniquitatis peccato. Cum armis quoque ad in-
fernum descendere. est cum ipsis quoque membris quibus deside-
ria uoluptatis expleuerunt. eterna iudicii tormenta tolerare.
ut tunc eos undique dolor absorbeat. qui nunc suis delecta-
tionibus subditi. undique contra iusticiam iuste iudicantis
pugnant. Mirum uero est ualde quod dicitur. ubi nullus ordo. Neque
enim omnipotens deus qui mala bene punit. inordinata esse nul-
lomodo tormenta permittit. quia quoque ipsa supplicia que ex
lance iusticie prodeunt inferri sine ordine nequaquam
possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit. dum
damnatum quemquam modum iuxta criminis et retributio sequitur
ultionis. Hinc quippe scriptum est. Potentes potenter tormenta
paciuntur. et fortioribus fortior instat cruciatio. hinc
in babilonis damnatione dicitur. Quantum exaltauit se
et in deliciis fuit. tantum date ei tormenta et luctum.
Si igitur iuxta modum culpe pena distinguitur. constat